



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Occupatio animae Jesu Christo crvcifixo devotae.**

**Leroy, François**

**Pragae, 1666**

§.1. Nonnullæ ejusce rei causæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-47123](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-47123)

Sanctorum Patrum sententia; idcirco ille homo factus est, ut nos Deos faceret, & luti nostri ignobilitatem, in sua claritate divinitatis transfiguraret.

In hoc igitur nobis exercendus est animus, eò omnia nostra circa Christum passum occupatio convertenda: inspirandūq; cum S. Augustino, ad sui in Deum transformationem ardentibus votis anhelante, atque dicente: *Tantum cor meum flamma tui amoris accendat; nihil in meritorum meo, nec quo respiciam ad me ipsum, sed totus in te, astuem, totus ardeam, totus diligam te, tanquam inflammatus abs te.* Eodēq; specialiter facit quædam S. Bonaventura devotissima (ut ipse appellat) ad Christum oratio; quam juvat ad usum, & præsentis capitis clausulam, totidem verbis apponere: *Domine JESU Christe, cor meum tuis vulneribus saucia, & tuo sanguine inebria mentem meam; ut quocumque me vertam, semper te videam crucifixum; quidquid aspexero, in tuo sanguine mihi appareat rubricatum: ut sic totus in te tendens, nihil præter te valeam invenire, nihil nisi tuum vulnere valeam intueri. Hac mihi consolatio, tecum, mi Domine, vulnerari; hac intima mihi sit afflictio, sub te aliquid non meditari. Non quiescat cor meum, donec JESU, donec resonat te centrum suum. Ibi cubet, ibi suum terminet appetitum. Amen.*

## CAPVT X.

*Felix ac placidus excessus è vita, inter brachia Salvatoris.*

§. I.

*Nonnullæ ejusce rei causa.*

**M**ultis tum vetustis tum recentis avi exemplis comprobatum est; his qui vitam suam passioni ac morti Christi

commentandæ addixerint, non felicem modò atque securam, sed cum dulci etiam pietatis sensu, & tanquam in sinu atque osculo Domini, mortem obtingere. Cujus rei causæ, tametsi complures in promptu sint, non nisi pauca & breviter attingentur in præsentibus, quòd pleraque huc spectantia alibi à nobis præcepta sint, sive parte 2. cum rationem sese ad bonam mortem exercendi præscriberemus, sive parte 5. cum de Christi in cruce morientis imitatione. Hæc igitur esto istius fructus ratio.

*Prima:* Quòd in passione ac morte Christi versanda, diligens studium, optima sit animi ad mortem piè suaviterque obeundam comparatio: dum nimirum longâ atque sedulâ exercitatione, vel ad pedes Christi crucifixi futuræ morti præluditur, vel ejus exemplo atque respectu libenter mori condiscitur, vel de letali ipsius agonia solacium ac robur humanæ imbecillitati quæritur, virisq; ac robur in tempus supremum colliguntur, vel denique futuri dolores nostri consociantur ipsius doloribus, & mors nostra ejus morte sanctissimâ quodammodo munitur & obvolvitur. Pro quibus relegendi possunt, quæ à nobis dicta sunt locis citatis.

*Secunda:* Quòd usu & tanquam naturâ, ac proprio insuper DEI munere, comparatum sit, ut profectò malè mori non possit, qui totâ spe suâ in Christo crucifixo collocatâ, inter ejus brachia, & sub umbra alarum ejus perpetuò vixerit; sed potiùs in ejus sacris vulneribus, in quibus libenter amantèrque commorari consueverit, in illa præsertim ultimâ necessitate, fidum ac dulce perfugium inveniatur; nec denique possit à Salvatoris amantissimi complexu moriens divelli, cui tanto studio atque amore vivens, tantâque adhuc perseverantiâ, inhæserit.

*Tertia:* Postremò, quòd dulcis Redemptor, fidelibus suis & sanctæ suæ crucis amicis, cum morte & totâ aternitate decertantibus, vicissim præsto esse soleat, sive manifestus

C c c c

&amp; aspe-

& aspectabilis, sive occultus atque invisus; eos in tempo-  
solando, tuendo, animando, vires opportunas sanctam  
fiduciam, ac spem certam salutis suggerendo. Proindeque  
inter utilitates, quas ipse Christus revelasse fertur eum con-  
sequi, qui sincerè recolendæ passionis suæ studiosus sit, de  
quas parte I. ex Abbate Blofio retulimus, non postrema hinc  
est, quæ postremo loco refertur: *Quòd in morte illi ad-  
versus hostes assistet, & de vita aeterna ipsum faciet certum atque  
securum.*

Quamobrem meritò hic liceat illud Regij vatis ul-  
pare: *Beatus qui intelligit (sive cogitat, ut vertit S. Hierony-  
mus) super egenum & pauperem, hoc est, super Christum, ut  
expressè S. Augustinus cum SS. Hieronymo & Ambrosio  
quia in die mala (die, inquam, mortis ac judicij) libera-  
eum Dominus.* Perinde atque si, mutuo quodam æquitate  
jure, his qui Christo Domino in ea extrema egestate, &  
mortiferis suæ passionis angoribus, meditatione se dulci-  
que compassione quodammodo præsto fuerint, ipse  
Salvator in eorum suprema necessitate nusquam se desse pa-  
tiatur, constanter assistens, juvans, sublevans, quoad sum-  
mo ereptos discrimine, in spe ac via certæ salutis confirma-  
at: atque ita fiat, quod in eodem Psalmo subditur: *Dom-  
nus opem ferat illi super lætium doloris ejus: universum fra-  
ejus versasti in infirmitate ejus.* Quem equidem verum cro-  
brò sub mortem pronunciasse invenio S. Elzearium, perp-  
tuum illum plagæ lateris Christi habitatorem: qui etiam  
dum ad agonem ultimum ungeretur, atque is versiculus re-  
citaretur: *Per sanctam crucem & passionem tuam, libera me  
Domine; demonstrare volens, quæ præsertim re eo in ar-  
culo niteretur ac fideret, precationem illam tertio repeti-  
vit, ad extremum addens: Hæc est spes mea, in hac volo mori.*

Sed placet hoc loco ad antedictorum confirmationem  
nostrumq; solatium, nonnulla alia subungere amatores.

Christi, intra ejus vulnera feliciter expirantium, & tanquam in ipsius sinu suaviter obdormientium exempla.

§. 2.

*Specialia quedam, feliciter intra Crucifixi vulnera expirantium, exempla.*

**S** Edmundus, ab ipsa poenè infantia tener ac fortis amator Jesu crucifixi, cum morte instante ad extremam lucem inunctus esset, Crucifixi complexus effigiem, sinem nullum faciebat, sacras illius plagas dissuaviandi, easque dulcibus lacrymis respargendi: potissimum autem amabile vulnus divini lateris identidem respiciens, oréq; eidem applicito, nescio quem cœlestem succum ex illo exsugens: *Haurietis nunc, ajebat, aquas de fontibus Salvatoris: neque multò post eo in complexu placidè obdormivit.* Vit. c. 21.

Nec absimile fatum Romæ obrigit cuidam virgini annorum sedecim, Joannæ nomine: quæ (uti refertur in vita Venerabilis P. Camilli de Lellis, Religionis Clericorum infirmis ministrantium Fundatoris) sub mortem pari in Jesum affectu continenter tenebat os applicitum dulcissimo lateri Crucifixi, modulatè in hunc modum concinens: *JESU, JESU, accipe cor meum, nec unquam mihi redde.* Quod cygnæum melos hac denique clausulâ concludens: *Per brachia rogo te, quæ tetendisti in cruce, peccata mihi remitte;* in his ipsiis verbis intra Christi vulnera felicem animam exhalavit. Defunctæ vertici imposita corona florea, & corpori rosarum calyces plures injecti; qui ut primum Virginis castissimum corpus attigere, continuo aperiri cœperunt, & mox se in rotas pulcherrimas explicuere; manifesto indicio, sive illibatæ illius castimonix; sive gloriæ, quâ felix anima jam in Sponsi sui Paradiso frueretur, inter cœli flores ævum agitans, rosâq; imarcelescibilibus, quas de Crucifixi spinis legisset, coronata. L. 3. c. 5.

Ccccc 2

Cujus